



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Septem Illvstrivm Virorvm Poemata**

**Cesarini, Virginio**

**Antverpiae, 1662**

Ad Philomathen.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7990**

A D

P H I L O M A T H E N.

Nequicquam Musarum iuuenilium  
auctorem tegi.

**Q** Valis, ubi Pharios exurit Sirius agros,  
Frugibus optata Nilus inundat aquâ,  
Et super arentes fuso natat aequore glebas,  
Et riguam latis messibus ornat humum;  
At longè positis idem cunabula terris  
Et caput ignotis celat originibus;  
Talis Mæonio quæ certent carmina vati  
Fundis, & ut magno Pindarus ore, ruis;  
Et Latium sermone beas, & diuite venâ  
Fecundas, Vatum Maxime, Castaliam.  
At eur Perrhæbi benè cognitus incola Pindi,  
Cor Charitum, nostri spesq; decusq; chori,  
Cur latitas, & lene sacrae caput oculis vnde,  
Quo veniunt Clario pocula digna Deo?  
Cur tegis ambiguâ IVVENILIS imagine MVSÆ  
Ingenij cultum divitiasq; tui?  
Cur dubitas proprio dignari nomine fetum?  
Cur dubitas fame pandere vela tue?

AD

I 3

Ne-

Ne quicquā, VIR MAGNE, lates: te nostra loquuntur  
 Tempora, te vatem secla futura canent.  
 Admirata tuos Siren Acheloia cantus  
 Audijt, auditis cedere fassa suos.  
 Cūm Phaëthonēæ canerent tua carmina Nymphe,  
 Suspenso Cycnus plausit ab Eridano.  
 Constitit auratā captus testudine Tybris,  
 Et iussit fluctus lentiūs ire suos.  
 Sæpè tuos audis Rhenus pater auribus hausit,  
 Sæpè Mosella tuos, & piger Alpha modos.  
 Ne quicquam, VIR MAGNE, lates: te fama latenter  
 Prodit, & Eois monstrat & Hesperijs.  
 Nec sinit indictum pietas, animusq; periclis  
 Altior, & pacis, quem profiteris, amor.  
 Sichemios colles, & collibus addita testor  
 Templa coronato suspicienda tholo.  
 Vos Vbij testes, testis Mimigarda laborum,  
 Et septem geminis Roma superba iugis.  
 Eripe nunc ergo tenebris caput, eripe nocti,  
 Et laruam fictis detrahe nominibus.  
 Si minùs occultum Scyros celavit Achillem,  
 Agnitus Æolidæ si fuit ille dolo:  
 Si, qui regnat enet latè Parnassia, Phœbum  
 Ora latere vetant, & coma digna Deo:

Si,

FERDINANDI FVRSTENBERGII. 135

Si, licet obscurâ celatus nocte, pyropus  
Natiuo rutilum prouocat igne diem:  
An poterit diffusa tuae lux aurea Musæ,  
An poterunt gentis signa latere tuæ?  
Sidera scintillant, sublimi vertice Quercus  
Eminet, & senis Mons subit astra iugis.  
Sed pudor, & castæ diuina modestia frontis  
Nobilior Tyriis purpura muricibus,  
Vatis Apollinei titulos, nomenq; recusat,  
Phœbeaq; vetat tempora fronde tegi.  
Nec te grande sophos, nec famæ cura moratur,  
Nec fuko roseas gloria picta genas.  
Virtuti satis est cælo se teste probari,  
Et sese famæ notitiæq; negat.  
Ut neget, inuitam curru sectatur eburno,  
Et circumfuso lumine vestit Honor.  
Sic radiant puro seruata corallia vitro,  
Sic lucent calathis lilia virgineis.  
Sic adamas fundo mersus pellucet in imo,  
Sic micat auriferi diues arena Tagi.